



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

II. Posseßione alicui adiudicata, non sufficit pignus dari.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

DE SENTENTIIS
ET INTERLOCUTIONIBVS.ANNO
CHRISTI
1179

C A P. I.

Alexander III. episcopo Norwicensi & abbatii de Evesham.

SCRIPSIMVS vobis ad suggestionem H. clerici, vt causam inter ipsum & R. super capella N. diligentius audire debeatis, & sub certa forma terminare, omnino immemores existentes, quod eam prius aliis iudicibus commissemus, dilecti autem filii nostri S. & R. suis literis nobis intimarunt, quod ipsi prædictam causam sibi a nobis, appellatione remota, commissam, ordine iudicario terminarent. Quare a prænominatis iudicibus veritatem studiosius inquiratis, & si noueritis eos super causa memorata definitam protulisse sententiam, nullatenus in causa ipsa procedatis: & si forte processistis, nec mandatum nostrum, nec factum vestrum volumus eorum sententia derogare. Sed vobis firmiter iniungimus, vt prænominato H. perpetuum super eadem causa auctoritate apostolica imponatis silentium.

C A P. II. *Idem ejdem.*

Cum aliquibus adiudicata est possessio, non sufficit eis pignora dari, nisi corporali gaudeant possessione.

C A P. III. *Item R. Vigorniensi episcopo.*

Causam quæ vertitur inter fratres Dunelmensis monasterii, & monachos sancti Albani super ecclesia de * Tene-^{*Tene-}_{mula}, audiatis, & appellatione cessante terminetis, illud inter cetera specialiter prouisuri, vt fratres Dunelmensis ecclesiarum auctoritate & assensu episcopi causam ingrediantur, ne si fratres sancti Albani obtineant, episcopus Dunelmensis se abbatem illius ecclesiarum proponens, litem soptimam valeat fuscitare.

C A P. IV.

Archidiaconis de ecclesiastica institutione non videtur